Nr. 2983.

XV.

NOS

JOSEPHUS ALOJSIUS

LIBER BARO

PUKALSKI,

Dei et Apostolicæ Sedis Gratia

EPISCOPUS TARNOVIENSIS,

Suae Sanctitatis Praelatus Domesticus, Solio Pontificio Assistens, Comes Romanus, Suae c. r. Majestatis Consiliarius actualis intimus, Eques c. r. Ordinis Coronae Ferreae II. Classis, Commendator Ordinis c. r. Austr. Francisci Josephi, Membrum Comitiorum Regni Galiciae, Præses Commissionis pauperum Tarnoviae &c. &c.

Universo Clero Dioecesano et omnibus Christi fidelibus

Salutem et Apostolicam Benedictionem!

Provida cura et tenerrima solicitudo capessebat animum p. m. Summi Pontificis Pii IX. ut necessitatibus Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis provideret et statum provisorium Vicariatus Apostolici, qui ab Ilmo ac Rmo Antonio Equite de Gałecki Episcopo Amanthuntino praeconisato 25. Sept. 1862. consecrato 19. Octobris 1862. administrabatur, removeret. Cum Pius IX. die 7. Februarii 1878. ad Dominum migraret, electus die 20. Februarii 1878. Pontifex summus Leo XIII. vestigia gloriosi praedecessoris Sui insequendo

omnem operam impendit, ut perantiqua sedes Episcopalis Cracoviensis titularem Episcopum suum acciperet. Votis et precibus Summi Pontificis gloriosissimus et apostolicus Monarcha Franciscus Josephus obsecundavit, nam decisione Sua ex 22 Sept. 1878. authorisavit suum Ministrum Cultus, ut cum Episcopo Tarnoviensi de dismembratione Dioecesis Tarnoviensis ageret, et revera excelsum Praesidium c. r. Locumtenentiae sub 6. Octobris 1878. N. 269. proposuit Ordinario Tarnoviensi, ut ad interim avellantur a Sede Episcopali Tarnoviensi Decanatus 10 videlicet:

Neoforensis, Dobczycensis, Wielicensis, Bialensis, Makoviensis, Myślenicensis, Oświecimensis, Skawinensis, Wadowicensis et Żywiecensis et ut hi 10 Decanatus cum Episcopatu Cracoviensi conjungantur, ita, ut juxta hanc dismembrationem Episcopatus Tarnov. numeraret 16 Decanatus cum 173 Parochiis, 6 Capellaniis, 11 filiis, 8 Claustris cum numero animarum 604 814 in 1.130 locis et comprehenderet 14 553 milliaria quadrata.

Episcopatus Cracov. numerasset 15. Decanatus cum 163 parochiis, 10 Capellaniis, 10 filiis, cum numero animarum 632.560 in 864 locis habitantibus et comprehenderet 12.052 milliaria quadratica.

Ordinarius Tarnov. ad mentem Concilii Tridentini Sess. XXV. de Ref. Cap. VI. jurisque canonici „De juribus capituli ad extra“ collatis cum Capitulo cathedrali conciliis, edoctus tristi experientia, quid temporalis provisio valeat et quam diu perdurat, salutationi c. r. regiminis Locumtenentialis accedere aut morem gerere non potuit nec audebat, et provocando ad articulum XVIII. Concordati Austriaci de 18. Augusti 1855 ad bullam erectionis Dioeceseos Tarnov. sub. 12 Cal. Octobris 1821 a Papa Pio VII. emissam, causam totam Romam ad summum Pontificem relegavit et pro casu, si S. Sedes Apostolica ad novam eandemque generalem vicinarum Dioecesis Cracoviensis, Kielecensis et Tarnoviensis, limitum circumscriptionem ac rectificationem accessura esset, rogavit, ut minor pars tantummodo Dioecesis Tarnov. avulsa, ad tempus cum Dioecesi Cracoviensi et Kielecensi conjungeretur, nominatim Decanatus Bialensis, Oświęcimensis, Skawinensis, Wadowicensis et Żywiecensis, e reliquis vero Decanatibus sequentes Ecclesiae Parochiales et filiales: 1. Bieżanów, 2. Biskupice, 3. Grabie, 4. Kosocice, 5. Podgórze, 6. Podstolice, 7. Świątniki górne, 8. Wieliczka, 9. Wróblowice, 10. Dziekanowice, 11. Siepraw, 12. Zakliczyn ad Siepraw, 13. Budzów, 14. Jawornik, 15. Krzywaczka, 16. Lanckorona, 17. Sułkowice, 18. Harbutowice filia, 19. Izdebnik filia, 20. Lachowice, 21. Mucharz, 22. Sucha, 23. Tarnawa, 24. Krzeszów filia, 25. Zembrzyce. Summa animarum horum decanatuum et parochiarum computatur ad 329.364.

Ordinariatus Episcopalis una cum suo Capitulo ponderatis omnibus rebus mature, attentisque multis aliis gravissimis rationibus, tamtummodo hos 5 decanatus et 25 parochias ad Dioecesim Cracov. remittere paratum sese declaravit, si id Summo Pontifici ad succurendas indigentiis Ecclesiae Cracov. et partis Dioecesis applicidante summo c. r. Imperio bene visum fuerit. Responsum tale non tantummodo alto c. r. Gubernio communicavit sub 24. Nov. 1878 N. 4320. verum etiam in Copia prouti fas erat, etiam Excell. ac Illmo Nuntio Apostolico Vindobonae, qui litteris datis ex 26. Julii 1879 N. 13587. hicque in copia acclu-

sis. Ordinario Tarn. notificavit, Sacram Sedem Apostolicam admisissise jam in principio novam Dioecesis Cracoviensis circumscriptionem et adhuc expostulare sententiam Episcopalis Ordinarii super observationes VIII. Hae observationes concernebant avulsionem integrorum 10. Decanatuum, a sede Episcopali Tarnov. et conjunctionem cum Cracoviensi Episcopatu atque argumenta pro hacce conjunctione proponebantur.

N. 13587. *Illme ac Rme Domine!*

Ad S. Apostolicam Sedem suo tempore transmisi exemplar Promemoriae a Te, Illme ac Rme Dne, Gubernio Austriaco exhibitae super delineanda nova dioecesis Cracoviensis circumscriptione, seu quinque decanatuum a dioecesi Tarnoviensi dismembratione, eorumque dioecesi Cracoviensi incorporatione.

S. Sedes titularem Episcopum Cracoviae concedere intendens, atque eapropter cum Gubernio Austriaco relativas pertractationes aggressa, admisit in principio novam necessariam fore dioecesis Cracoviensis circumscriptionem, eamque talem, quae tum ad spirituale fidelium utriusque dioeceseos bonum magis conduceret, tum semel et sine mora convenienti aptaque ratione constituta, viam praecluderet ulterioribus, quae a Gubernio tardius repeti possent, instantiis, pro supprimenda dioecesi Tarnoviensi.

Itaque serio atque diligenti examini subjecit S. Sedes, quae in praefata Promemoria exposuisti. Priusquam vero novam circumscriptionem constituat, quasdam Tibi communicandas censuit Ei propositas super nova delineanda circumscriptione observationes, quas solido fundamento niti et non parvi ponderis esse existimavit, et juxta quas, praeter quinque a Te propositos decanatus, alii quinque decanatus etiam dismembrandi a dioecesi Tarnoviensi proponuntur pro bono fidelium.

Super hisce observationibus, quas heic adijcio, S. Sedes citius quo fieri potest, cognoscere desiderat sententiam tuam, ut inde id determinare valeat, quod utriusque dioeceseos bono satius conferat, et conservationem securius tueatur.

Hac occasione utor, ut eos venerationis et obsequii sensus exhibeam, quibus iugiter adhaereo

Tibi Illme ac Rme Domine

Viennae die 26. Julii 1879.

Humil. Addimus Servus

Ludovicus,

Archiepiscopus Thessalonicensis, Nuntius Apostolicus.

Gravibus verbis et argumentis firmissimis defendit Ordinarius Tarnov. sub 18. Aug. 1879. N. 4122. suam sententiam priorem, qua 5. tantummodo Decanatus et insuper 25. Parochiae avellendae a sede Episcopali proponebantur, atque ad pedes Sanctissimi Patris provolutus enixe rogavit, ut memor meritorum, quae Dioecesis Tarnov. tractu existentiae

suae circa Ecclesias sibi collegit, memor intimae adhaesionis ad S. Sedem Apostolicam, memor periculi, quod pro sede Episcopali Tarnov. inimineret, si 10. Decanatus avellerentur, votis Ordinarii Tarnoviensis minorem dismembrationem Diocesis concedentis deferret. Sanctissimus Pater, cui cordi sunt indigentiae omnium Ecclesiarum et non particularia vota, benignissime preces Ordinarii Tarnov. exaudivit prout acclusa in copia epistola Eminentissimi ac Rmi Ludovici Cardinalis Jacobini Pronuntii Apostolici ex 4. Febr. 1880 N. 14991. demonstrat:

Illme ac Rme Domine!

Animadversiones ab Excellentia Vestra mihi remissas sub die 18. Augusti nuper elapsi anni quoad Decanatus Tarnovienses ad Dioecesim Cracoviensem aggregandos, Romam suo tempore transmisi. Nunc autem SSmus Dnus desideriis Excellentiæ V. satisfacere cupiens disponere dignatus est, ut circumscriptionis decretum a S. Congregatione Consistoriali redigatur juxta propositiones ab E. V. Sanctae Sedi subjectas, excluso tamen optionis jure duorum Tarnoviensium Canonicorum ad Capitulum Cracoviense. Statim ac prædictum circumscriptionis decretum mihi pro executione remissum fuerit, sine mora E. V. certiorem facere non deero.

Cum sensibus interim peculiaris observantiæ et venerationis permaneo

Viennae die 4. Febr. 1880. Excellentiæ V. Rmæ

Humil. Servus
Ludovicus Cardinalis **Jacobini**,
Pro-Nuntius Apostolicus,

Executio segregationis 5 Decanatuum et 25 parochiarum a Dioecesi Tarnov. in longinquum differri non potuit, eo magis cum Cracovia in persona Illustrissimi ac Rmi Albini Sas Dunajewski nacta sit Episcopum Dioecesanum, qui n. 1817. ord. 1862. nom. 21. Aprilis, praeconis. 15. Maji, consecratus et inthronisatus 8. Junii 1879. latiorem ambitum activitatis suae Episcopalis necessarium habuit, et indignum fuisset, ut Diocesis Cracoviensis mater aliarum, tam angustis limitibus coarctaretur.

Sub 5. Maji 1880 N. 15534. accepit Ordinarius Tarnoviensis literas ab Eminentissimo ac Rmo D. Ludovico Cardinali Jacobini Pro-Nuntio Apostolico cum promissione, eum si esset impeditus in mente habere, ad executionem decreti S. Congregationis Consistorialis circa dismembrationem et descriptionem Diœcesis Cracov. et Tarnov. Rmum Dnum Ignatium Łobos Scholasticum Dioec. Premis. subdelegare.

Litteræ hae et Decretum erectionis sequuntur:

Illustrissime ac Rme Domine!

In heic adjecto documento pergratum mihi est exemplar amplitudini Vestræ Rmæ

transmittere decreti a Sacra Congregatione Consistoriali nuper emissi, quoad novam Diœcesium Tarnoviensis et Cracoviensis circumscriptionem. Quum decreti executio mihi a SSmo Domino demandata fuerit, in animo habeo Rmum Dnum Ignatium Łobos Prælatum domesticum Suæ Sanctitatis et Canonicum Scholasticum Diœcesis Præmisliensis r. lat. subdelegandi, qui omnia quæ juxta ejusdem decreti præscriptiones opus fuerint, diligenter disponere curabit.

Velit interea observantiæ et venerationis sensus excipere quibus permaneo.

Viennæ die 5. Maji 1880.

Amplitudinis Vestræ Illmæ ac Rmæ

Ludovicus Cardinalis **Jacobini,**

Pro-Nuntius Apostolicus.

CRACOVIEN

In Imperio Austro-Ungarico

Erectionis in Diœcesim Vicariatus hujus nominis et novæ ejusdem circumscriptionis.

Sanctæ Apostolicæ Sedis id semper cura studiumque fuit, ut vel nova Diœcesium erectio vel circumscriptio tum pro faciliori earum administratione majorique fidelium bono, tum juxta historicas regionum origines et illustriora christianæ antiquitatis monumenta quoad fieri posset, in Domino rite perageretur. Hisce de causis SSmus Dnus Noster Leo XIII. Summus divina providentia Pontifex, cui omnium Ecclesiarum sollicitudo incumbit ratus est, suæ apostolicæ charitatis sapientiæque officium et munus esse, ut Vicariatus Cracovien in Ditione Austro-Hungarica situs, in pristinum Episcopatus gradum, utpote fere olim prostabat, pontificia auctoritate restitutus, quibusdam, uti ajunt, Decanatibus nonnullisque paræciis ex Tarnovien. Diœcesi, facili negotio distrahendis augeretur. Igitur mature hujusmodi consilio perpenso attentisque cunctis, quæ ad gravissimum hoc negotium expediendum erant consideranda, hæc quæ sequuntur, ex certa sua scientia de Apostolicæ suæ potestatis plenitudine, in decretis haberi voluit atque edixit.

I.

Etsi Apostolica Sedes et Sancta Romana Ecclesia omnium in orbe catholico Ecclesiarum mater et caput, definiendi, circumscribendi, minuendi augendive Diœceses, ob jurisdictionis primatum, auctoritate sibi a Dno collata potiatur, quin ad sic agendum fidelium, sive etiam Episcoporum consensum approbationemque exquirere teneatur, nihilominus in gravissimis hisce negotiis pertractandis, ut pax animorumque concordia supremæ potestatis mandata consequatur, ab Ordinariis, quorum interest, consensum dari Romanus Pontifex semper optavit. Quamobrem priusquam ad Vicariatus Cracovien. Diœcesanam circumscrip-

tionem deveniretur, hodierni Tarnovien Ordinarii, a cujus jurisdictione quidam Decanatus subtrahendi erunt, consensum præstari voluit. Cujus quidem consensus quoad hujusmodi negotium, in actis perscriptus est. Ut porro res prorsus canonice et sine ullo impedimento conficiatur, Sanctitas Sua consensum aliorum quorumcumque interesse habentium vel quomodolibet habere præsumentium, quatenus opus sit, plenissime suppleri mandavit.

II.

Igitur ad constituendam Cracovien Diœcesim decrevit, *collatis in id consiliis, cum Regio-Cæsareo Gubernio*, decanatus qui vulgo audiunt de *Biała*, de *Oświęcim*, de *Skawina*, de *Wadowice* et de *Saybusch* a Diœcesi Tarnovien esse dismembrandos, et novæ sic constituendæ Ecclesiæ Episcopali Cracovien, prout nunc suis finibus comprehenduntur, esse aggregandos; eidemque paroecias quæ nuncupantur *Bieżanów*, *Biskupice*, *Grabie*, *Kosocice*, *Podgórze*, *Podstolice*, *Swiątniki górne*, *Wieliczka*, *Wróblowice*, quæ ad Decanatum de *Wieliczka* pertinent, esse incorporandas; e contra paræcias de *Bodzanów*, de *Brzezie*, de *Gdów*, de *Łazany*, de *Niegowieć*, de *Niepołomice* de *Zabierzów*, nec non monasterium de *Staniątki* Diœcesi Tarnovien, in posterum, sicut in præsens adhærere atque uniri.

III.

Jussit præterea parœcias quæ ad Decanatum de *Dobczyce* spectant, scilicet *Siepraw* et de *Dziekanowice* et de *Zakliczyn* ad *Siepraw* ad novum Episcopatum Cracovien transferri, Diœcesi vero Tarnovien alias parœcias de *Dobczyce*, de *Droginia*, de *Gruszów* de *Łapanów*, de *Raciechowice*, et de *Wiśniowa* incorporari.

IV.

Mandavit insuper ut parœciæ quæ vulgo audiunt de *Budzów*, de *Jawornik*, de *Krzywaczka*, de *Lanckorona*, de *Sułkowice*, de *Harbutowice* et de *Izdebnik*, quæque omnes Decanatus de *Myślenice* pars sunt, novæ Diœcesi Cracovien accenseantur; aliæ vero parœciæ nuncupatæ de *Bieńkówka*, de *Lubień*, de *Myślenice*, de *Pcim* et de *Trzebunia* ad Tarnovien Episcopatum pertineant.

V.

Demum præcepit eas paroecias, quæ in Decanatu de *Maków* consitæ sunt, nempe de *Lachowice*, de *Mucharz*, de *Sucha* et de *Tarnawa* partem Diœceseos Cracovien constituere, alias vero de *Jordanów*, de *Osielec*, de *Raba wyżnia*, de *Rabka*, de *Sidzina*, de *Spytkowice* ad *Jordanów*, de *Maków* et de *Zawoja* territorio Episcopatus Tarnovien coalescere.

VI.

Mens igitur est *Sanctitatis Suæ*, ut prædictæ paroeciæ, quæ in posterum novæ Dioeceseos Cracovien partem constituent, ordinariae hodierni Episcopi Cracovien jurisdic-

tioni perpetuo subiiciantur, cum omnibus utriusque sexus incolis, circumsitis locis, ecclesiasticis beneficiis, piis institutis, adnexisque rebus et concomitantibus accessoriis.

VII.

Eadem vero *Sanctitas Sua* expresse iniunxit, ut sic peracta Cracovien Dioeceseos erectio et circumscriptio nullum detrimentum nullumve praejudicium Cathedralis Ecclesiae Tarnovien dotationi, nec non ejusdem Capituli constitutioni afferat. Hac enim novae Sedis Episcopalis ex Vicariatu Cracovien fundatione juxta propositum et conventionis cum Austro-Hungarico Gubernio initae, naturam et vim, Sancta Sedes nil aliud prospicit, quam majus catholicorum bonum et Sanctae fidei incrementum.

VIII.

Summus autem Pontifex Apostolicae suae indulgentiae et benignitatis ostendendae gratia, concessit, ut Regio-Caesarea Majestas privilegio gaudeat praesentandi Condidatum ad provisionem praedictae Ecclesiae Cathedralis Cracovien, tum prima hac vice, tum pone sequentibus, qui tamen tunc tantum ab Apostolica Sede canonice instituetur, cum debitas qualitates dignaque merita praeseferat.

IX.

Ad augendum porro novae Diaeceseos Cracovien decus, Sanctitas Sua edixit, ut sic constituta Dioecesis Cracovien Sanctae Apostolicae Sedi immediate subjaceat, et subiiciatur.

X.

In hujusmodi autem Consistorialis Decreti exequutorem demandavit Emum et Rmum P. Ludovicum Cardinalem *Jacobini* Apostolicum penes Aulam Regio-Caesaream Viennensem Pro-Nuntium, qui quidem jure hac facultate, alteram personam, dummodo ecclesiastica dignitate praeditam subdelegandi et quamlibet quaestionem hoc in negotio exurgentem, sine appellatione, decidendi potiatur.

XI.

Voluit itaque hujusmodi Decretum perinde valere ac si in id Litterae Apostolicae sub plumbo fuissent expeditae, earumque originale exemplar scilicet hujus Consistorialis Decreti, in Archivo ejusdem S. Congregationis perpetuo ac fideliter custodiri.

Datum Romae hac die XX mensis Januarii anno reparatae hominum salutis 1880.

Petrus Lasagni,
S. C. Consistorialis Secretarius.

Per decretum ex 4. Junii 1880 N. 25776 in Copia hic acclusum nominatus Rmus Ignatius Łobos Prælatus Domesticus Suæ Sanctitatis et Canonicus Scholasticus Ecclesiæ Cathedralis Premisl. r. lat. ab Eminentissimo Cardinali Jacobini Pro-Nuntio Apostolico ad exequendum actum circumscriptionis subdelegatus est.

Nos

LUDOVICUS

S. R. E. Presbyter Cardinalis Jacobini

Ad Sacram Caesaream et Regiam Apostolicam Majestatem Pro-Nuntius Apostolicus.

Dilecto Nobis in Christo

Illustrissimo ac Rmo Dno Ignatio ŁOBOS Praelato Domestico Suae Sanctitatis, et Canonico Scholastico Ecclesiæ Cathedralis Premisliensis r. lat. salutem in Dno sempiternam.

Quum per decretum die vegisima Januarii hujus anni a Sacra Congregatione Consistoriali editum nova constituta fuerit Dioecesium Tarnoviensis et Cracoviensis circumscriptio, Nosque Sanctissimus Pater tamquam ejusdem decreti executorem apostolicum, cum jure et facultate aliam personam dignitate ecclesiastica praeditam subdelegandi, benigne demandare dignatus sit, hisce Nostris Litteris, quibus praedicti decreti adnectitur authenticum exemplar, Tibi, Illme ac Rme Domine, cujus jampridem, perspectam habemus scientiam pietatem, ac in negotiis peragendis diligentiam et dexteritatem, hujusmodi decreti executionem subdelegamus cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, ita ut omnia, quae juxta decreti praescriptiones, formam et tenorem opus fuerint, disponere ac decernere valeas. — Datum Viennae die 4. Junii anno MDCCCLXXX.

(Sig.) **Ludovicus** Cardinalis **Jacobini**, Pro-Nuntius Apostolicus.

N. 752. Concordare cum Originali testor

(L. S.) E Curia Episcopali Cracoviensi,
Cracoviae die 8. Junii 1880.

Gawroński, Cancellarius Curiæ.

In fundamento hujus decreti, subdelegatus Rmus Scholasticus Łobos litteris ad Nos sub 8. Junii datis diem 11. Junii ad promulgandum hocce decretum dismembrationis Dioec. Tarnov. et circumscriptionis novae Dioecesis Cracov. designavit, et ordinarium Tarnov. petiit, ut ad hunc actum, suum quoque delegatum designet. Revera sub 9. Junii 1880 N. 2935 constituimus delegatum Nostrum Rmum Josephum Martusiewicz, Praelatum Scholasticum Ecclesiae Cathedralis, concedendo Ipsi facultatem, nomine Nostro ea omnia penes actum hunc proferendi et agendi, quae incolumitas ac integritas Diœceseos Nostrae postulant.

Executio decreti S. Congregationi Consistorialis tam repentine facta est, ut hunc

actum praevie Venerabilibus Presbyteris partis Dioeceseos avellendae et Cracoviensi annectendae annuntiare et necessaria praedisponere non valuerimus.

Quomodo vero haec circumscriptio facta sit apparet e documento hic in copia accluso:

Actum in Curia Episcopali Cracoviensi die 11. Junii 1880.

Hora 10. a. meridiana convenerunt in Ecclesia Cathedrali Cracov. Capitulum et Clerus hucusque ad Dioecesim Cracov. pertinens, tum convocati decani foranei quinque Decanatuum et etiam parochi Ecclesiarum, quæ Dioecesi Cracoviensi incorporandae erant per Illustrissimum Reverendissimum Dominum Ignatium Łobos, Praelatum domesticum Suae Sanctitatis, Praelatum Scholasticum Capituli Ecclesiæ Cathed. Premisliensis ad promulgandum et exequendum decretum S. Congregationis Consistorialis de 20. Januarii 1880 erectionis in Dioecesim Vicariatus Apostolici Cracov. in Imperio Austro - Hungarico siti et novae ejusdem circumscriptionis subdelegatum, vigore literarum Eminentissimi ac Rmi Domini Dni Ludovici Sanctae Rom. Ecclesiae Cardinalis Presbyteri *Jacobini* ad Sacram Caesaream et Regiam Apostolicam Majestatem Pro - Nuntii Apostolici dat. die 4. Junii 1880 N. 15776.

Advenientem ad Ecclesiam Cathedralem Episcopum Cracov. in comitatu supranomitati Subdelegati una cnm Deputato ad hunc actum ab Excellentissimo ac Reverendissimo Episcopo Tarnoviensi, Praelato Scholastico Capituli Cathedralis Tarnoviensis Reverendissimo Domino Josepho Martusiewicz Capitulum Cathedrale cum Clero reverenter excepit.

Ad Illustrissimum ac Rmum Episcopum in throno sedentem accessit supranominatns Subdelegatus, eundemque sequentibus allocutus est verbis:

„Auctoritate Christi - Vicarii Sanctissimi Domini Nostri LEONIS PP. XIII. Eminentissimus ac Rmus Dominus Dominus Ludovicus Jacobini S. R. E. Presbyter Cardinalis ac apud S. Jmp. ac Reg. Majestatem Gloriosissimum FRANCISCUM JOSEPHUM Imperatorem Nostrum Pro - Nuntius Apostolicus ccmmittere mihi dignatus est, quatenus literas S. Congregationis Consistorialis, quibus dioecesium Cracoviensis et Tarnoviensis limitum circumscriptio ordinatur et demandatur, promulgationi et executioni dare possim ac valeam. Dignamini itaque Illustrissime ac Rme Archipraesul Cracoviensis, documentum istud publicare facere.“

Finita hac allocutione Illmus ac Rmus Episcopus Cracov. Cancellario Curiae Suae, decretum S. Congregationis supracitatum e. s. suggestu Clero ac populo copiose congregato promulgari demandavit. Publicatione finita idem, qui supra Subdelegatus sermonem habuit ad Illmum ac Rmum Dnum Episcopum linqua polona.

Illustrissimus ac Rmus Episcopus audita allocutione sermonem pietate ac zelo pastorali plenum, ad congregatum Clerum recenter sub jurisdictionem suam aggregatum edixit, quo finito supra nominatus Subdelegatus Clerum mox fatum ad praestandam canonicam obedientiam et reverentiam novo Ordinario suo provocavit. Peracto homagio Dominus Episcopus una cum Clero et populo „Te Deum Laudamus“ solemniter decantavit, atque orationes pro gratiarum actione, pro Papa, et Imperatore absolvit,

Postea S. missae Sacrificium pro Dioecesi Sua celebravit.

Collatis cum Rmo ac Clmo Domino Delegato Episcopi Tarnoviensis, Praelato Scholastico Cathedrali dictae Ecclesiae Tarnov. sequentia conclusa circa a) terminum inchoationis regiminis in parte dioecesis nuper adscriptae, tum circa b) vicarios Ecclesiarum parochialium, qui in praesentiarum ad Ecclesias parochiales munere Cooperatorum funguntur, tum c) circa acta parochialia videlicet: extractus metricales, documenta piarum fundationum tum indices proventuum beneficialium et conspectus fundationum ac dotationum Ecclesiarum et beneficiorum parochialium, item conspectus missarum fundi religionis, nec non operata visitationum per decanos factarum. d) Quoad alumnos Seminarii Diocesani.

Ad a) Regimen partis dioecesis Tarnov. huic Cracov. diocesi incorporatae Illmus ac Rmus Episcopus Cracov. exercere incipit a die 1. Julii a. c.

Ad b) Omnes cooperatores. prout sunt penes Ecclesias Cracov. Diocesi incorporatas a die promulgationis decreti ad jurisdictionem Eppi Cracov. spectant cum declaratione e parte Episcopi Cracoviensis, quod illos si petierint, ad Diocesim Tarnov. dimissurus sit. et vice versa Excell. ac Rmus EppusTarnov. eandem declarationem per suum Delegatum fecit.

Ad c) Omnia acta officiosa sub c) designata, Excellentissimus ac Rmus Dnus Tarnovien. Eppus tradere Episcopo Cracoviensi sese paratum per suum Delegatum declaravit.

Ad d) Alumni Seminarii in praesentiarum Tarnoviae educati, ex titulo originis ad Cracoviensem dioecesim pertinent.

Quum in Decreto supra citato S. Congregationis Consistorialis parochiae de Trzemeśna, de Tarnawa, ex decanatu Dobczycensi; item parochiae de Łętownia, de Zembrzyce, de Krzeszów, ad decanatum Makowiensem pertinentes per errorem transcriptoris juxta fassionem Delegati Tarnoviensis in relatione ad Eminentissimum Dnum Cardinalem Pro-Nuntium, sint omissae, itaque consiliis initis cum Rmo Delegato Eppi Tarnoviensis, in fundamento litterarnm subdelegationis Illmi Rmi Dni Subdelegati conclusum est: parochiae de Krzeszów et Zembrzyce, cum finibus Dioecesis Cracoviensis continentur, eidem incorporandae sunt, e contra vero, parochiae de Trzemeśna, de Tarnawa et de Łętownia in Dioecesi Tarnoviensi ultro relinquendae sunt. —

Ignatius Łobos,
Subdelegatus S. Eminentiae
Cardinalis Presbyteri Pro-Nuntii
Apostolici apud S. Imperialem
ac Regiam Majestatem Franc. Josephi
Prælatus domesticus S. Sanctitatis
Scholasticus Cathedralis Premisliensis.

(L. S.)

Josephus Martusiewicz,
Prælatus Scholasticus
Capituli Cathedralis
Tarnoviensis, Delegatus
Excellentissimi ac Reverendissimi
Episcopi Tarnoviensis Josephi
Alojsii L. B. Pukalski.

(L. S.) Visum et authenticum recognitum.

Cracoviae die 11. Junii 1880.

Albinus,
Episcopus Cracoviensis.

Nominati a Sua Sacrat. Majest. Franc. Jos. 31. Julii 1851 praecon. Rmae 15. Martii 1852 putavimus, Nos gregem curae pastorali Nostrae commissam quam 28 annis salutari

doctrina pavimus usque ad mortem esse recturos, ast cum Sedes Apostolica ob bonum spirituale Ecclesiarum Cracov. et Tarnov. aliter disposuerit, Nos cum reverentia et filiali submissione erga Sacrosanctam Sedem Apostolicam et primatialem in Ecclesia Jesu Christi Salvatoris mundi auctoritatem supremam, renuntiavimus jurisdictioni in Decanatus et Parochias a Sede Episcopali Tarnov. avulsas, easdemque relegamus ad jurisdictionem Episcopi Cracoviensis, et cum ultima vice solemniter ad Vos Venerabiles Fratres Dioceseos amplæ a 29. Julii 1852. posessæ facimus, provocamus Vos cum Samuele ad judicium, ut mecum centendatis XII. 2, *„Ego senui et incanui, conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad hanc diem, ecce præsto sum. Loquimini de me et coram Christo ejus* (Albino Eppo) *utrum bovem cujusquam tulerim aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, et contemnam illud hodie, restituamque vobis. Testis est Dominus adversum vos et testis est Christus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quidpiam“* Ab exordio muneris Nostri institutionem Doctoris gentium, quam filio suo Tito 1, 7, 8. dedit sequi studuimus: *Oportet episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana et eos, qui contradicunt, argure* Hanc institutionem pro Episcopis datam studuimus quidem assequi, multum tamen abest, ut dicamus Nos eandem assequutos esse. *Vos dilectissimi fratres scitis a prima die qua ingresus sum* Tarnoviam, *qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, quomodo nihil substraxerim utilium, quo minus anuntiarem vobis et docerem vos publice et privatim testificans in Deum poenitentiam et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum* Act. 20. 18. Quod vero Vos dilectissimi Filii concernit, testificamur coram Domino et Christo ejus, Vos fuisse dilectos filios Nostros, quos amore prosequuti sumus, et qui provocationibus Nostris et excitationibus aurem pronam semper exhibuistis et quos non virga ferrea sed baculo pastorali leni paterneque gubernare oportuerat. *Gratias ago Vobis dilectissimi Fratres*, quod decursu 28 annorum simul mecum portastis Evangelici diei aestum et pondus, gratias Vobis ago, pro amore, quo Nos prosequuti estis et cujus testis classicus erat dies Jubilaei Nostri sacerdotalis 22 Sept. 1871. Rogo Vos, ut amorem quem Nobis impendistis etiam moderno vestro Praesuli et dilecto Confratri Nostro Albino exhibeatis *Rogamus Vos et obsecramus in domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a Nobis quomodo vos oporteat ambulare et placere Deo sic et ambuletis, et abundetis magis.* Sacerdos Dei evangelium tenens, & Christi praecepta custodiens, occidi potest non potest vinci. Chrys. hom. 20. *Super omnia autem, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* Col. c. 3, 14.

In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem Joan. 13. 35. Nocte et die non cessabimus pro Vobis Delectissimi Fratres orare et speramus, *Vos* quoque Nostri in orationibus vestris non esse oblituros. *Commendo Vos nunc Deo et verbo gratiae ejus, qui potens est aedificare et dare haereditatem in sanctificatis omnibus*, et elevatis sursum manibus cum brevi ad Dioecesim Cracov. quondam

maternam sitis discessuri, cum affectu Patris tenerrimi et Praesulis mox morituri Vobis et dilectis Dioecesanis curae pastorali Vestrae concreditis impertimur verbis, quibus Summus Pontifex Hebraorum jussu Dei filiis Israel benedixerat:

Benedicat Vobis Dominus et custodiat vos, Ostendat Dominus faciem suam Vobis et misereatur Vestri. Convertat Dominus vultum suum ad Vos et det Vobis pacem.“ Num. 6, 25.

Gratia Domini Nostri Jesu Christi sit cum omnibus Vobis, Amen.

Dabamus in Palatio Episcopali

Tarnoviae die 17. Junii 1880.



JOSEPHUS ALOJSIUS,

Episcopus Tarnoviensis.

Tarnoviae 1880. Typis A. Rusinowski, Typographi ad honores Episcopalis, Impensis Consistorii.